

invitus ad matrimonii contractum adhibitus, ideo nec videt, nec percipit, quia data opera neque videre voluit, neque percipere, cum tamen et videre et percipere naturaliter potuisset eadem ratione, qua testes ad eum ipsum actum adhibiti, et vidisse se et percipisse fatentur. Celebris fuit anno præterito 1753, causa *Carthaginien. matrimonii*, in concilii congregatione agitata et iudicata, in qua agebatur de quodam matrimonio contracto coram parochio domi suæ inopinata deprehensio, qui virum quidem aspexerat, ejusdem verba perceperat, feminam vero nec viderat, nec audiverat. Porro, cum ex iis, qui controversiæ iudices sedebant, totidem ex una parte pro matrimonii validitate, totidem vero ex alia pro illius nullitate opinati fuerint, opportunum nobis visum est congregationem ipsam coram nobis indicare, jussis prius theologis aliquot, aliisque juris canonici professoribus sententias suas hac de re scriptis exponere: qui sane, maxima diligentia ac labore, collatis inter se tum theologorum et canonistarum placitis, tum decretis ejusdem congregationis et actis similibus causarum, quæ alias coram ipsa agitata fuerant et ab ea definitæ, in hoc facile convenerunt, ut ad matrimonii validitatem necessarium omnino esset, contrahentes a parochio videri, eorumque verba mutuum consensum exprimentia ab eodem audiri: eo scilicet principio præ oculis habito, quod, si parochus matrimonio interest tanquam testis Ecclesiæ auctorizabilis, nullo modo poterit de matrimonio contracto fidem facere, ubi nec utrumque viderit conjugem, nec utriusque consensum audiverit. Sed, cum factum ipsum, de quo agebatur, accurate perpensum fuerit, ejusque circumstantiæ omnes diligenter excussæ, manifesto compertum est quod, si parochus mulierem non vidit, ejusque verba non intellexit, hoc ideo evenit, quia ipse obfirmato animo eandem videre et audire noluit; cum eam facile videre et audire potuisset; quemadmodum bene viderant, recteque audierant testes ad eum actum adhibiti. Itaque pronuntiatum fuit, nobisque annuentibus, sententia prodit pro matrimonii validitate. » *De synod. dioces.*, lib. xiii, cap. 23, n. 1 et seqq. — Hæc præ oculis habeat lector, ut inde quid sit in hac controversia rite tenendum edisecat.

(81. Parochus valide assistit, etiam ex alia causa vocatus, adhibitus tamen ad illum actum. Sacra congregat. conc. apud Fagnan., in cap. *Quoniam* 13, De constitutionib., num. 25. (82. Imo etiam si episcopus illi facultatem assistendi matrimonii interdixerit, quia parochus ex concilio Tridentino *loc. cit.* jure proprio, et non ex aliena facultate hanc assistentiam exercet, arg. l. *More majorum*, ff. *De jurisd. omnium judic.*, ibi: « Qui etiam jure suo, non alieno beneficio habent. » Et sic declaravit ead. sac. congreg. Conc. apud Fagnan. *loc. cit.*, et tenet comm. DD. teste Reiffenst., *loc. cit.* n. 72.

(83. Parochus valide assistit matrimonio, quamvis sit putativus. Sac. congregat. Conc.

12 Mart. 1593, teste Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. II, cap. 11, num. 51. (84. Item quamvis habeat suam collationem nullam ob nullitatem concursus propter defectum examinatorum synodaliū. Ead. sac. Cong. in *Ceneten*. 31 Jul. 1627, apud Barbos. *loc. cit.* (85. Item valide assistit, quamvis sit irregularis, suspensus, interdictus et excommunicatus, etiam vitandus, dummodo possessionem beneficii adhuc retineat, et non sit actualiter depositus, quia talis adhuc est, et manet vere parochus, adeoque, etc. *Communis* cum Barbosa *loc. cit.* n. 52; Sanchez, *loc. cit.*, n. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 73; Fagnan., in cap. *Litteræ*, num. 20, De matrim. contracto contra interdictum Eccl., ubi refert sic declarasse sac. congreg. Conc.

(86. Parochus proprius vagorum in ordine ad matrimonium est parochus illius loci, ubi vagi actu versantur, Sanchez, *loc. cit.*, num. 5, 8 et 11; Pirhing, *loc. cit.*, num. 19; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 88, et alii communiter. (87. Talis parochus valide assistit vagorum matrimonio, etiamsi ipsi ea intentione et animo, ut citius et liberius in ejus parochia copulentur, e proprio domicilio discedant, sicque aliquam quasi fraudem et dolum committant, dummodo vero et non ficto animo illud deserant et ad illud brevi redire revera non intendant. In tali enim casu non patrocinatur illis fraus, sed conditio parochiani, quam licite acquirunt. Card. de Luca, *De matrim.*, disc. 1, n. 9 et seq., dicens sæpe esse declaratum a sac. congreg. Conc. talem fraudulentam non obstat mutationi domicili, nec invalidare matrimonium; idem docet Fagn. lib. III *Decretal.*, cap. *Significavit* 5, De parochis, n. 36 et seq., ubi affert ad rem plures sac. congreg. Conc. casus, et signanter de quodam juvene nobili et meretrice Senensi, qui timentes posse impediri in civitate Senarum, ut facilius et securius inter se matrimonium contraherent, Romam accesserunt, ibique aliquantisper commorati, coram parochio et testibus Sanctæ Anastasiæ, in cujus parochia tunc habitabant, contraxerunt, et fuit iudicatum pro validitate matrimonii. Item de quodam scholari, qui Patavii quinque, vel sex menses commoratus, duxit mulierem plebeiam coram parochio loci et testibus. Item de quodam alio, qui ob eandem causam se in Angliam transtulit, et ibi aliquantisper moratus coram parochio habitationis cum meretrice contraxit matrimonium. Item de quodam viro et muliere Trajectensi, qui timentes impedimentum a parentibus, ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulerunt et ibi aliquandiu morati, matrimonium contraxerunt, et « Sacra congreg. Conc. respondit, quod si Aquisgranæ manserunt saltem per tempus unius mensis, danda est decisio pro validitate, alias de novo referendum in congregatione. » Ex quibus dicit Fagnanus, non videtur dubitandum quominus validum sit matrimonium contractum coram parochio habitationis post quartum habitationis mensem et in hanc

sententiam sac. congregatio respondit. Hæc ex Fagnano, *loc. cit.*, a num. 36 ad 39, inclusive. Et pro validitate matrimonii contracti in civitate, ad quam data opera se contulerunt conjuges, respondit sacra congregatio in *Cesenaten. seu Forolivien. matrimonii*, 20 febr. 1723, et in *Firmana* 24 Apr. ejusdem an. 1723. Vide verb. VAGUS, VAGABUNDUS, num. 4.

(88. Parochi autem quamvis vagorum matrimoniis valide assistant sine præcedenti inquisitione de eorum statu libero et habitate ad contrahendum, tamen non possunt licite assistere, nisi prævia diligenti inquisitione et obtenta ordinarii licentia, ne forte sint alibi conjugati, aut habeant occultum impedimentum. Sic expresse statuit concilium Tridentinum sess. XIV, *De reform. matrim.*, cap. 7, ibi: « Multi sunt qui vagantur et incertas habent sedes, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt; cui morbo cupiens sancta synodus occurrere, omnes ad quos spectat paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant; magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant, parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. » (89. Unde parochi, qui sine diligenti inquisitione præmissa et licentia ab ordinario obtenta assistant matrimoniis vagorum, etiamsi unus tantum esset vagus, peccant mortaliter, et possunt graviter ab ordinariis puniri, quia in re gravissima agunt contra tam urgens et expressum præceptum ecclesiasticum Tridentini concilii. *Communis*. V. ante *Addit. Cas.*, ad art. 4.

(90. Matrimonium contractum ab eo, qui erat carceratus ad custodiam, vel ad correctionem, coram parochio carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in pœnam perpetuam, vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu carceratus acquirit domicilium, ut declaravit sac. congregat. Conc. in *Farsen. matrimonii* 26 Martii 1707, quod decretum legitur impressum in statuto cleri Romani cap. 2, *De jure eligendi sepultur.*, § 4, in addit. (91. Matrimonium contractum coram capellano hospitalis nullum est. Sac. congreg. Conc. in *Eugubina* 12 Aprilis 1651, lib. X *Decret.*, fol. 124, a tergo. (92. Matrimonia puellarum expositarum degentium in conservatoriis, seu hospitalibus non debent, neque possunt contrahi coram rectoribus, seu capellanis eorumdem locorum, sed coram proprio parochio, in cujus parochia sita sunt prædicta loca. Sic pluries declaravit sac. congregat. Conc. apud Pignatell., cons. 396, tom. I, et nuper in *Suessana* 7 Septembris 1696. (93. Matrimonium contractum a puella educanda ad crates monasterii coram testibus et parochio Ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium, validum est, etiamsi

parochus fuerit alio prætextu vocatus, nisi aliud obstet. Sacra congregatio Concilii in *Turritana* 19 Decembris 1648, lib. XVIII *Decret.*, pag. 563. (94. Matrimonia contracta coram capellanis exercitus a militibus degentibus in castris et stationibus hibernis, vel æstivis, aut in expeditione etiam cum militibus feminis sine licentia ordinarii loci, vel sine speciali facultate sedis apostolicæ, nulla sunt. Sacra congregatio concilii 6 Martii 1694. Vide verb. CAPELLANUS MILITUM, ubi abunde per tot.

(95. Principes, vel nobiles, quamvis per fictionem juris censeantur cives omnium urbium, et omnium pagorum sui principatus, vel domini, non tamen possunt valide contrahere matrimonium in omnibus sibi subditis locis, sed solum in loco, ubi veram et realem habitationem habent, et coram parochio palatii, in quo ordinarie resident, quia concilium Tridentinum sess. XXIV, *De reformat. matrim.*, cap. 1, exigens præsentiam proprii parochi, aperte intelligit de parochio proprio, apud quem vere, et non per fictionem juris contrahentes habitant in proprio domicilio. Card. de Lugo, in *Respons. moral.*, lib. I, dub. 37; Gobat, tract. 9, n. 947; La Croix, lib. VI, part. 3, n. 724 et alii; arg. cap. *Cum quis* 3, De sepult. in 6. (96. Si autem tales principes, vel nobiles, marchiones, comites et hujusmodi duo loca, seu duas parochias æqualiter, aut fere æqualiter, inhabitant, v. gr. unam hieme, alteram æstate, possunt indifferenter coram alterutro parochio contrahere matrimonium, ita ut, si hieme contrahant, possunt contrahere etiam coram parochio æstivali, et e contra, quia uterque utroque tempore est proprius eorum parochus; arg. c. *Cum quis* 1, De sepult. in 6, et l. *Assumptio*, § *Viris prudentibus*, ff. *Ad municip.*; Guttier, *De matrim.*, c. 26, n. 4, et c. 64, n. 2, Sanchez, *De matrim.*, lib. III, disp. 24, n. 3; Barbosa, *De potest. episcop.*, allegat. 32, et *De officio par.*, p. II, cap. 21, n. 41; Bonacina, in tit. *De matrimonio*, quæst. 2, punct. 8, n. 5, tom. I; Panimoll., decis. 120, n. 29; Ferentill., in *Annotat. ad dec.* 713; Buratti, n. 14, et alii passim cum La Croix, *loc. cit.*, n. 723; Lugo, *loc. cit.*; Gobat, *loco cit.*, n. 508, et Rota in *Toletana matrimonii* 10 Decembris 1615, et in *Neapolitana matrimonii* 30 Martii 1629, coram Merlino.

(97. Si vero non æqualiter habitent utrobique, sed v. g. per septem menses in urbe, et per quinque ruri recreationis gratia, aut recollendorum fructuum causa, invalide contrahunt ruri, quia, ut possint contrahere in utroque loco, jura requirunt æqualitatem habitationis in utroque, non quidem arithmeticam, sed saltem moralem, quæ in nostro casu non reperitur, cum dies 154 non sint numero moraliter æquales cum diebus 210. Lugo, *loco cit.*, dub. 37; Gobat., *loc. cit.*, n. 508; La Croix, *loc. cit.*, n. 723; Genedo, quæst. 30, n. 60, et ita firmasse sac. congreg. Concil. testatur Garcias, *De benefic.*, par. IV, cap. 7, n. 11, ad 4; Panimoll., dec. 129, n. 31; Gattier., *De ma-*

trimon., cap. 63, n. 7; Navarr., consil. 7, n. 2, sub tit. *De clandestin. despons.*, in noviss.; Menoch., consil. 378, n. 5, 16, 21, 37, et vol. IV; Sanchez, *De matrimon.*, libr. III, disp. 23, n. 12; Riccius, in *Praxi*, tom. I, resolut. 214, n. 2; Barbosa, *De potest. episcop.*, allegat. 32, n. 66, et *De offic. parochi*, part. II, cap. 21, n. 37; Bonacina, *loco citato*, n. 3; Diana, *Resol. moral.*, part. III, tract. 4, *De sacrament.* resolut. 231, et alii passim cum Rota, decis. 636, pars I *Divers.*, et coram Seraphin., decis. 613.

ADDITIONES CASINENSES.

Rem sane gratam facturos lectoribus putamus, si in hac de domicilio, et de parochia domicilii (hujusmodi) materia, referamus, quæ Benedictus XIV tradidit in *Inst. ecclesiastica*, 33, cujus nonnullos num. exhibebimus, ut sequitur.

« ... Primum omnium sacra congregatio ab anno 1573 hoc decretum edidit ut, quis sit proprius parochus explanaret: Cum concilium Tridentinum inter cætera præcipiat, matrimonia esse contrahenda, præsentem parochum, vel alio sacerdote de ipsius parochi, sive ordinarii licentia, quæritur, quid, si contrahentes sint diversarum parochiarum, utrius parochi præsentia requiratur, sponsine, an sponsæ, an vero utriusque, an etiam alterius parochi consensus accedere debeat. Sacra, etc., censuit, ad validitatem matrimonii sufficere præsentiam solius parochi proprii sponsæ, quando matrimonium in parochia sponsæ contrahitur, similiter sufficere præsentiam solius parochi sponsi, si modo matrimonium contrahatur in parochia ipsius sponsi.

« Deinde, cum de matrimonio agitur, proprium eum parochum nuncupandum censuit, in cujus parochia domicilium positum habetur, non vero illum in cujus parochia vitæ primordia suscepimus. Cum ordines rite conferri possint per episcopum non domicilii modo, sed etiam originis, ideo ad inquirendum locus oblati fuit utrum idem ratiōe parochi in celebrandis matrimoniis statuendum videretur. Attamen ex ipsis concilii verbis parochus domicilii satis aperte deprehenditur, et sacri canones, cum iisdem verbis parochum quoque originis complecti voluerunt, id expresse declararunt, quemadmodum contigit, cum de sacra ordinatione sermo haberetur. His veluti fundamentis innititur unanimis scriptorum opinio, ob quam is proprius parochus pro celebrandis matrimoniis iudicatur, in cujus ditione domicilium constituitur. Sanchez... Perez... Sacra Concilii congregatio hanc opinionem pariter secuta est, cum die 18 Novembris anno 1702 *Mulinensis* causa matrimonii proposita fuisset, *Salmantic.*..., in qua cardinalis Baudinus Panciaticus ejusdem congregationis præfectus, suo præsertim suffragio, opinionem, quam modo exposuimus, magno studio, sapienterque tutatus est, eamque unice probandam affirmavit. His quoque rationibus adducti plurimi scriptores, eum, qui duo habet in di-

versis parochiis domicilia, matrimonium rite coram illo parochio inire posse fatentur, in cujus potestate tunc degit, cum matrimonium contrahitur. Illud tamen advertunt, tunc solum duobus domiciliis instructum aliquem jure appellari, cum in utroque æqualiter collocatus prudentium virorum iudicio existimetur; quod etiam jur. Pontific. auctoritate probatur, c. 2, *De sepult.*, in 6: « Cum ab eo, qui duo habet domicilia; se collocans æqualiter in utroque etc. » et ex L. *Assumptio*, § *Viris prudentibus*, ff. *Ad municipalem*. « Viris prudentibus placuit, in duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minus apud alteros se locasse videatur. »

« Tertio, si quis rei familiaris, aut rusticationis causa in agrum concedat, nunquam proprius parochus is nuncupari poterit, in cujus ditione rurale domicilium situm est. Qui enim ob eas causas ruri vitam degere constituit, nullam domicilii, seu quasi domicilii rationem consequitur. Pontius rurali parochio, si matrimonium agendum sit, proprii parochi nomen apte convenire arbitratur, eamque sententiam sacra concilii congregationi attribuit, quæ Romanæ Rotæ iudicis contrarium statuentibus anteferenda est. Eandem opinionem Leander inconsulto amplectitur; contra illos tamen reliqui fere omnes conveniunt. Et quoniam de sacra congregationis concilii decretis mentionem faciunt, nos in medium illa profereamus, quæ ab Actis ejusdem congregationis desumpsimus, cum secretarii munere fungeremur; non ea profecto a quibusdam scriptoribus edita, qui sacrae congregationis Acta nunquam inspexerunt.

« Sacra, etc., inhærendo declarationibus alias factis, respondit, parochum ruralem non esse proprium et verum parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticationis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujusmodi parochio celebrari non posse. Partibus tamen dentur declarationes antiquæ scilicet.

« In una *Florentina* sacra, etc., censuit, quod parochus ruralis non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticationis negotiis.

« In *Florentina* similiter respondit, parochum ruralem, non esse proprium parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum.

« In una *Abulen.* sacra, etc., censuit, non valere matrimonium contractum coram parochio loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi. » Die 1 Decembris 1640, lib. XVI *Decretorum*, pag. 470, a tergo a pag. 471.

« Quarto, si quis domicilium suum minime relinquens ex civitate, vel oppido, in quo degit, in alium locum proficiscatur, ibique matrimonium inerat, quin antea domicilium sibi, vel quasi domicilium comparaverit, illud omnino irritum, quia cum fraude in proprium parochum conjungitur, scriptores unanimis in hac re consentiunt,

quos clericatus recenset. Idem statuit sacra Concilii congregatio die 22 Februarii 1631: « Sacra, etc., censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti: vir et mulier a loco suæ habitationis, absque animo illam relinquendi discedentes et ad locum alterius parochiæ solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi coram parochio illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per sacram congregationem declarari, an hujusmodi matrimonium sit nullum, vel validum. Die 22 Februarii 1631. Sacra, etc. secundum ea quæ proponuntur, censuit esse nullum. » Nobis autem secretarium agentibus, cum die 13 Julii an. 1723, hæc in sacra congregatione proposita essent: « Controversia constituenda videtur in hoc, quod Antonius, qui est civis Lauretanus, quique captus amore Annæ Margaritæ, modo ad urbem Maceratensem, modo ad Montem Sanctum perrexerat et paucis diebus in illis versatus fuerat, spatio tandem duorum mensium una cum dicta Anna Margarita habitavit in loco Montis Casarii, a quo post parochi admonitiones de contrahendo cum Margarita matrimonio et prævisis difficultatibus de probando statu libero ejusdem, cum ex improviso discesserit et una cum duobus testibus accesserit ad terram Montis Luponi, et coram parochio hujus loci doctrinam Christianam pueros edocente matrimonium ex improviso contraxerit, et statim reversus fuerit ad terram Montis Casarii, etc., ex his inferri posse videtur ad nullitatem matrimonii. » Deinde, cum peteretur: *An matrimonium sit nullum in casu*, sacra congregatio respondit *affirmative*.

Non inficiamur eandem congregationem, juxta consilium 254 Friderici de Senis, qui proprium parochum eum censuit, in cujus parochia quis degit; non ubi certum ac stabile habet domicilium, non semel decrevisse valida illorum matrimonia, qui ad evitandas cum parentibus altercationes, ex parochia domicilii, in alium locum demigrantes, ibi matrimonium contraxerunt; ita Fagnanus commemorat. cap. *Significavit*, n. 36, et seqq. De parochis. Advertendum tamen est, matrimonium hoc pacto ineuntes, antequam rem perficerent, domicilium in eo loco, vel quasi domicilium assecutos fuisse. Nam diu morati ibidem ante matrimonium fuerant, neque inde postea decesserunt, ut primam sedem, ac domicilium repeterent, quemadmodum Clericatus recte perpendit. Ob hanc causam sacra congregatio, cum nos ipsi secretarii titulum haberemus, quoddam matrimonium validum probavit, licet per duos Casenæ incolas contractum, qui, ut parentum se molestiis eriperent, illud Frolivii celebrarunt, cum puella ante discessum palam fecisset, se domicilium in illa civitate deligere, ubi materna avia vitam ducebat, quam tunc, sui que curatricem prædicabat. Insuper Urbanus VIII

suis Apost. litteris, quæ monumentis card. de Lugo, et patris La Croix insertæ sunt, hæc sacra Conc. congreg. sententias (* *quas auctor supra memorat* *) die 14 Augusti. an. 1627 confirmavit: « Primo, an incolæ tam masculi, quam feminae loci in quo concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum in quo dictum concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parochio et testibus contrahere? Secundo, quid, si eo prædicti incolæ tam masculi quam feminae solo animo sine parochio et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? Tertio, quid, si iidem incolæ tam masculi quam feminae eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parochio et testibus contrahant? Idem cardinales ad primum et secundum, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude; ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vero transferatur, matrimonium esse validum responderunt et resolverunt. Igitur matrimonium primo, et secundo loco expositum irritum decernitur, cum fraus intercesserit; matrimonium tertio loco allatum etiam cum fraude validum declaratur, quia novum quoque domicilium accesserat. » Hæc Ben. XIV, l. c., n. 5 et seqq.

(98. Ad valorem matrimonii ultra præsentiam parochi aut delegati ab eo, vel ordinario, requiruntur et sufficiunt duo testes. *Communis*, textu expresso in concil. Trident., sess. XXIV, *De reform. matrimon.*, cap. 1. (99. Ad valorem matrimonii sufficiunt quicumque testes rationis capaces; et ea quæ de jure naturæ requiruntur habentes; sic sufficiunt etiam impuberes, consanguinei, domestici, religiosi, feminae, excommunicati, infames, infideles, hæretici et alii etiam de jure positivo ad testimonium ferendum inhabiles. Concilium enim Tridentinum *loc. cit.* duos, vel tres testes simpliciter et sine illius peculiaris qualitatis mentione ad valorem matrimonii requirit, adeoque, etc. *Communis* cum Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 32, n. 138; Sanchez, lib. III, disp. 41, n. 5; Layman, lib. V, tract. 10, punct. 2, cap. 4, n. 6; Reiffenstuel, l. c., n. 103. (100. Ad valorem matrimonii non sufficit præcise præsentia physica et corporea parochi et testium, sed requiritur eorum præsentia moralis, rationalis et humana, ita ut intelligant sponso de præsentia contrahere matrimonium. *Communis*, arg. *concil. Trident.* cit. sess. XXIV, cap. 1, ibi: « eorum mutuo consensu intellecto; » et sic expresse declarasse sacram congregat. Concilii refert Rebellius p. 2, lib. II, quæst. 8, n. 4 et 7. et post lib. IV, per hæc verba formalia: « Quartum dubium, si sacerdos adfuit, nihil tamen eorum quæ agebantur vidit neque audivit: utrum tale matrimonium validum sit sic contractum, vel potius tanquam sine sacerdote nullius sit ponderis? Respondit sacra

congregatio non valere, si sacerdos non intellexit. »

(101. Præsentia parochi et testium ad validitatem matrimonii debet esse simultanea, nec sufficit successiva. Debent enim ita esse præsentibus, ut de uno eodemque contractu matrimonii testari valeant, quod facere nequeunt, nisi simul præsentibus existant. *Communis*, arg. *concil. Trident. l. c.*, ubi expresse videtur requirere simultaneam eorum præsentiam per illam copulativam dictionem, « et præsentibus parochi et testibus. »

(102. Præsentia parochi et testium sufficit ad valorem matrimonii, quamvis ob aliam causam sint vocati, dolose et fraudulenter illuc adducti, invitati et coacti, etiamsi cum protestatione et contradictione ibidem existant, dummodo tamen ad illum actum adhibeantur et intelligant, seu percipiant contrahentium consensum. Sic pluries declarasse sacram congregationem Concilii refert Sanch. lib. III, disp. 39, n. 9, et signanter die 29 Augusti 1591, teste Gonet, cap. 4, quæst. 10, apud La Croix, lib. VI, part. III, n. 760, his verbis: « Sac. congregat. Concil. censuit matrimonium coram parochi et testibus contractum, nisi aliud obstet, validum esse, quamvis parochus invitatus interfuerit, et alia de causa, quam, ut matrimonio interesset, a contrahentibus accessit fuerit: » et consimiliter 19 Decembris 1648, lib. XVIII *Decretor.*, pag. 563, et alios apud Pontium, lib. V, c. 21, n. 5, et apud Farinacium, volum. IV, p. 268, et apud Reiffenstuel, *l. c.*, n. 108, his verbis: « Dummodo parochus sit præsentibus et intelligat id quod agitur, licet dissentiat et contradicat: adhibitus vero parochus intelligitur, etiamsi ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum. » Et sic tenet communis doctorum, quia Tridentinum *l. c.* plus non requirit, quam ut matrimonium contrahatur: « Præsentibus parochi et duobus, aut tribus testibus; » quod revera fit, etiamsi ipsi dolo inducti, aut coacti et invitati, seu dissentientes et contradicentes sint præsentibus; arg. I. *Coram* 209, ff. *De V. S.*, ubi clare habetur, quod coram aliquo quid fieri dicatur, etiamsi eo invito fiat, ibi: « Scire autem, non etiam velle, is debet. » *Vide supra*, n. 80.

(103. Præsentia parochi et testium an sufficiat ad valorem matrimonii, etiamsi ipsi nihil eorum quæ agebantur viderint et intellexerint, si affectarunt non intelligere, obturando aures suas, ne audirent? et pro valore declarasse sacram congregationem Concilii refert Fagnan, lib. I *Decretal.*, cap. *Quoniam*, De constitutionibus, n. 25, et lib. V, cap. *Quæsitum est*, De pœnitent. et remissionibus, n. 7, præcisus his verbis: « Sacra. congreg. Conc. alias respondit validum esse matrimonium contractum coram parochi, etiam invito et per vim adhibito, quanquam nihil eorum quæ agebantur vidit et intellexit, si affectavit non intelligere; ut in parochi, qui obtu-

ravit aures suas, ne audiret. » *Vide supra* n. 69 ad 80, et *infra* n. 135.

(104. Præsentia parochi et testium sufficit ad valorem matrimonii, etiamsi fuerit accidentaliter, seu casualiter, et non requisita, seu contrahentes se sisterint coram ipsis transeuntibus per viam, confabulantibus in congressu, convivantibus in mensa, rem divinam parochi ad altare faciente, ad ipsum accedente, et ab ipso recedente, et testibus inservientibus, seu assistentibus, et hujusmodi, dummodo tam parochus quam testes contrahentium consensum intelligant. Sic declarasse sacram congregationem Concilii refert Salzedo ad *Practic. Diaz*, cap. 37, dub. 5, et Rosignol. *contract. 15, De matrimon. 1*, prænot. 32, n. 10, his verbis: « An si adsit parochus, dum contrahitur matrimonium, casu, non cogitans se ad id vocatum, sed aliud agens audivit duos inter se contrahentes matrimonium, sit validum tale matrimonium, in quo fuit præsentibus, non autem certioratus, neque ad id expresse vocatus, neque interponens suam auctoritatem dicto vel facto; vel potius sit nullum, quasi assistentia auctoritativa per concilium requiratur, non nuda vel carnalis præsentia? Sacra congregatio Concilii censuit valere, etiamsi parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum: » et consimiliter fuisse sæpius resolutum ab eadem sacra congregatione refert Ledesma, *De matrimon.*, quæst. 43, art. 5, in 2 dub.; Gutierrez, *Dematrimon.*, cap. 69, n. 3, et tenuit Rota, de mente ejusdem sacre congreg. coram card. Seraphin., dec. 1099, n. 5, et in *Ulyssiponen. matrimon.*, 16 Novembris 1622, coram Manzanedo; et part. VII, recent. decis. 124, n. 17 et 18, et p. XI, decis. 301, n. 7, et par. IV, tom. II, dec. 431, n. 2 et 3, et *Annot. ad dictam dec. 431*, a n. 13 ad 24; et sic tenent Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 30, n. 88, et *De offic. et potest. parochi*, par. II, cap. 21, n. 50, et *supra concil.*, sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 8, n. 77, ibique plurimos alios citans, Rosignol., *l. c.*, n. 10; Navarr., lib. IV *Concil.*, in prima edit., *De sponsalib.*, cons. 29, et in secunda, tit. *De clandestin. desponsat.*, cons. 11; Segura, secund. par. *Director. judic.*, cap. 51, n. 54; Sanchez, *l. c.*, disput. 41, n. 7; Bosco, disp. 11, sect. 9, conclus. 14, n. 558; Gobat, tractat. 9, cas. 18, n. 292; Joann. Angelus Bossius, *De matrimon. contractu*, cap. 3, n. 6, et alii innumeri apud eundem et apud La Croix, lib. VI, par. III, n. 760. Et ratio est quia, quomodocunque parochus et testes sint præsentibus, sive expresse rogati, sive non rogati, per talem præsentiam satisfiit fini concilii Tridentini, cum taliter præsentibus, etiam non rogati, possint, ac si data opera interessent, testificari de contracto matrimonio et consequenter impedire ne sic contrahentes, stante hoc, aliud contrahere possint; arg. I. *Ad fidem* 11, ff. *De testibus*, ibi: « Ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur. »

(105. Alii tamen, ut Gonzal., ad regul. 8 *Cancellar.*, glossa 48, n. 35; Fagnanus, lib. IV *Decretal.*, cap. *Quod nobis* 2. De clandestina desponsat., n. 54, § *Cave*; Pontius, lib. V, cap. 21, n. 4; Bonacina, Leander, et Amicus, tenent ad valorem matrimonii requiri, ut parochus et testes formaliter sint adhibiti, id est requisiti, et rogati; et adducunt pro sua sententia duas declarationes sacre congregationis Concilii, quas allegant Pontius, *l. c.*; Rebellius, part. II, lib. II, q. 8, sect. 3, n. 51 et 73, et alii, quorum prima sic sonat: « Parochus præsentibus matrimonio debet esse, ut appareat a contrahentibus adhibitus fuisse, secus, si præsentibus casu fuisset. » Secunda sic habet: « An sit matrimonium, si duo contrahunt per verba de præsentibus proprio parochi præsentibus, et aliis requisitis non omissis, cui contractui parochus formaliter adhibitus non fuit, sed dum forsitan convivii, vel confabulationis, vel aliud tractandi causa adesset, accidit hujusmodi contractum fieri, et postea alter contrahentium velit ab hujusmodi contractu, ratione hujus defectus resilire? » Congregatio respondit posse, nisi alia intervenerint, quæ parochum a contrahentibus adhibitus fuisse arguant, qui diceretur adhibitus, ut supra, quamvis ex alia causa vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum. At istæ, et consimiles sacre congregationis declarationes possunt, et debent conciliari cum primis adductis numero antecedenti, dicendo esse intelligendas pro quando parochus et testes, accidentaliter et casualiter præsentibus, non adverterunt quæ dicerent et facerent contrahentes, nec potuerunt percipere et intelligere serium esse in tali circumstantia reciprocorum eorum consensum, prout explicat Joan. Angelus Bossius, *l. c.*, n. 7, in fin.; Rosin., *loc. cit.*, n. 10, et alii. Hinc parochus et testes, licet solum accidentaliter et casualiter præsentibus, adhuc dici possunt sufficienter ad eum actum adhibiti, ex eo quod contrahentes coram illis consensum manifestaverint, ad finem servandi ea quæ a Trident., *loc. cit.*, præscribuntur, dummodo contrahentium consensum intellexerint et perceperint. *Vide supra*, a n. 71 ad 80.

(106. Præsentia parochi et testium non requiritur in locis ubi conc. Trident. non est promulgatum. Colligitur ex ipsomet concilio, *loc. cit.*, ubi expresse disponit decretum suum in aliquo loco, seu parochia non tenere, nisi ibidem fuerit promulgatum, ibi: « Decernit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parochia factæ enumerandos: » et explicite declaravit sacra congregatio Conc. apud Bosco, part. V, disput. 11, sect. 9, conclus. 4, ibi: « Sacra congregatio censuit, ubi decretum conc. Trid., sess. XXI, cap. 1, *De reform. matrimonii*, non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observatione formæ a concilio præscriptæ. » (107. Matrimonium contractum sine præsentia parochi et testium ab incolis loci, seu provinciæ, ubi fuit promulgatum,

sed non receptum Tridentinum quoad disposita *De matrimonio clandestino*, est validum. Communis et certa. (108. Item validum est matrimonium contractum sine præsentia parochi et testium ab eo qui e loco promulgati et recepti concilii pergit ad locum ubi promulgatum aut receptum non est, et ibi cum incola illius loci contrahit; secus vero econtra, si e loco non promulgati concilii pergit ad locum in quo est promulgatum, et ibi contrahat sine præsentia parochi et testium: semper enim habenda est ratio loci, ubi matrimonium per verba de præsentibus contrahitur. Communissima, et sic declarasse sacram congregationem Concilii referunt Uvamesius in *Consil. tom. II*, consil. 530; Pignatelli., tom. V, consult. 79, n. 33; La Croix, lib. VI, p. 3, n. 714.

(109. Si ambo sponsi e loco publicati et recepti concilii transferant realiter suam habitationem ad locum ubi non est publicatum, quamvis eo solo animo, ut absque parochi et testibus contrahant, validum est eorum matrimonium; secus vero, si illuc se transferant cum tali fine, et habitationem realiter non mutant; seu, retento suo domicilio in loco publicati concilii, transeant per locum ubi non est publicatum, et ibi contrahant. Sic quoad omnes tres partes respondit sac. cong. Conc., 5 Sept. 1626, quæ responsio fuit confirmata ab Urbano VIII in Brevi ut sequitur.

URBANUS VIII, etc.

Exponi Nobis fecit venerabilis frater archiepiscopus Coloniensis, quod habito nuper per eum ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, sacri concilii Tridentini interpretes, recursu supra infrascriptis dubiis, videlicet, *Primo*, an incolæ tam masculi quam feminæ loci in quo conc. Trident. in puncto matrimonii est promulgatum transeunt locum, in quo d. concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parochi et testibus contrahere? *Secundo*, quid, si eo prædicti incolæ, tam masculi quam feminæ, solo animo sine parochi et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutant? *Tertio*, quid, si iidem incolæ, tam masculi quam feminæ, eo transferant habitationem, illo solo animo, ut absque parochi et testibus contrahant? Iidem cardinales, ad primum et secundum non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntibus cum fraude. Ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt, et resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem, sicuti eadem expositio subjungebat, dictus archiepiscopus responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi pro illius subsistentia firmiori Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summo opere desideret; Nos eundem archiepiscopum specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine Nobis